

Heinrich Schuckmann   Joachim Schnobel

## **Disputatio Inauguralis De Transactionibus**

Rostochii: Kilius, 1641

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731845498>**

Druck   Freier  Zugang




Übertragungen

R. U. jur. 1641.

Schuckmann-Schrobel. 10







DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
TRANSACTIONIBVS,

*Quam*

D. T. O. M. A.

Auctoritate & decreto Magnifici Amplissimiq; Ictorum ordinis in illustri Acad. Rostochiensis

PRÆSIDE

*Amplissimo & Consultissimo Viro*

Dn. HENRICO Schuckman/  
J. U. D. Professore Codicis publico, &  
Facultatis Juridicæ p. r. spectabili DECANO.

*Pro summis in utroq; jure honoribus & privilegiis  
Doctoralibus consequendis, publico examini subjicit*

JOACHIMUS SCHNOBELIUS,  
Soltquellensis, Juris in eadem Acad.,  
Prof. defig.

*Die 4. Februarij horis matutinis & pomeridianis  
loco consueto.*

---

ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLI.









DE  
TRANSACTIONIBUS  
THESIS PRIMA.

**L**ites execrari verecunda est cogitatio  
l. 4. § 1. ff. de alien. jud. mut. easdemq;  
ubi natæ fuerint, quamprimum velut  
in herba opprimere & resecare Chri-  
stiana religio, quæ cum omnibus pa-  
cem colere, eamq; sectari jubet, imò ob cognatio-  
nem, quam natura inter nos constituit, l. 3. ff. de f.  
§ 7. humanitas ipsa requirit.

2. Commodissimum verò illarum maturè expe-  
diendarum remedium est TRANSACTIONI l. 1. § 2. ff.  
de jurejur. quam propterea non immeritò juris no-  
stii conditores inter primordia judicij statim offe-  
runt, ut ex Digestis, Codice & Decretalibus videre  
est, & qui juri dicundo præsumunt, antequam certa-  
men jurgij forensis tractu & exitu suo lucuosum  
plerumq; & molestissimum cernatur, ab initio in-  
ter litigantes sedulò tentare & experiri jubentur,  
Meckelnburg. LandgerichtsOrd. Part. 2. tit. 14.

3. Hanc igitur dignam certè cognitu & quotidi-  
anam materiam cum divina favente gratiâ metho-  
do perspicuâ explicare ferat animus, talem missis



verborū ambagibus, damus definitionem: TRANS-  
ACTIO est conventio, quæ fit inter duos pluresve, a-  
licujus controversiæ, vel litis, vel rei dubiæ compo-  
nendæ & decidendæ causa, dato aliquo, vel retento  
vel promisso. *l. 1 ff de transact.*

4. Differt à Pacto & Contractu, Pactum enim,  
per quod imprimis à lite receditur, gratis fit *l. 1 ff. h.  
& Contractus* verò causam dat obligationi, & hæc  
actioni, ad quam perimendam, propriè comparata  
est Transactio, *l. 35. C. h. t.* ut distractui quàm contra-  
ctui sit similior *arg. §. 1. Inst. quib. mod. re contr. obl.*  
licet actiones ad obsequium placitorum urgendū,  
de quibus postea, ab eâ induci nō negetur. *l. 6 C h t.*

5. Transigere possunt omnes, qui & consentire,  
& pacisci, utpote quod est illo majus per *l. 1. ff h t.*  
Quivis igitur mente sanus, licet æger corpore *l. 20.  
l. 27. C h. t.* liberam habens rerum suarum admini-  
strationem transigendi quoque potestatem habet  
*arg l. 21 C mand.* Unde patet furiosum *l. 5. ff de R. I*  
prodigum *l. 40 ff. eod.* infantem *l. 209 ff de V. S.* pu-  
pillum *l. 189. d. R. I.* minorem qui curatorem habet  
*l. 3. C. de in integ. restit.* efficaciter transigere non pos-  
se, utpote quibus nec remittere nec alienare licet.  
*§. 2 Inst. quib. alie. lic. vel non.*

6. Alieno nomine non usquequaq; Transactio  
procedit. Procuratorum certè potestati regulariter  
non coheret *l. 60. ff. de procur. §. 1. 7. C h. t.* nec, nisi  
gene-



generaliter bonorum ipsis libera administratio cō-  
missa est *l. 58 ff. de procur. junct. l. 17. §. ult ff. de jurejur.*  
ac Domini utilitas ob summam rei incertitudinē,  
deficientibus omnibus probationibus exposcit  
*arg. l. 35. pr. ff. de jurejur. §. l. 28. §. 1 de pact. vel spe-*  
*ciali ad id mandato sunt instructi l. 63. ff. de procur.*  
*c. qui ad agendum 4 de procurat in 6. transigere*  
*queunt, In rem verò suam datus Procurator, cum*  
*Domini loco sit, pro lubitu quoq; suo Transactio-*  
*ne lites finit. l. 13 §. 1 de pact. l. 55 de procurat.*

7. Porro Tutores & Curatores, qui & ipsi domini  
loco habentur *l. 56. §. 4. de furt.* cum omnia pupil-  
lorum ac minorum pericula avertere debeant, ubi  
maximè dubium litis sentiunt eventum, transigere  
quidem possunt, non tamen diminuendi ac dona-  
tionis causa *l. 54 §. fin ff. de furt. §. l. 45. §. ult ff. de*  
*admin tut.* si verò immobilia eo nomine sint alie-  
nanda, sive illa pupillus possideat sive adversarius  
*l. 49 de V. S. l. 15. de R I* judicis interponi decretum  
debet *l. 4. C. de prad. min. sine decre. non al.*

8. Eodem modo Administratores ac Syndici ci-  
vitatum, cum à lege mandatum generale habere  
censeantur, super re planè dubià in utilitatē Reipub.  
etiam transigere non prohibentur, modò fraudis  
& simulationis absit suspicio *l. 12. C. h. t.*

9. Nulli verò Procuratorum Cæsari, inconsulto  
Principe transigere est permissum *l. 1 ff. de off. pro-*



*cur. Cas. § l. 13. ff. h. t. licet Transactionem factam Princeps probare & ratam habere possit.*

10. Deniq; Prælatorum de bonis Ecclesiasticis Transactio non aliter, quam per consensum aut ratihabitionem Capituli subsistit. *c. contingit extr. de transact.*

11. Hactenus de Personis, quæ transigere possunt: sequuntur nunc Objecta, super quibus Transactiones legitimè vel minus interponuntur. In genere Transactio fit de re dubia quavis & lite incertà, necdum finita *l. 1 h. t. l. 12 C. eod.* Dubiam verò rem litemq; faciunt adversarij contradictio, & anceps eventus litis *ult. C. quib. ad lib. procl. non lic. l. 51. ff. de pecul.* Nondum finita dicitur, quæ iudicis sententia nondum decisa ac terminata.

12. Non autem opus est, litem esse præsentem, & jam motam, seu in iudicium deductam: sed sufficit ejus vel de facto saltem movendæ timor ac suspicio *l. 2 C. h. t.* imo saltem aliqua inter partes contentio, ut Transactionis placitum admittatur.

13. Etiam post rem judicatam Transactio rectè valet, si intercesserit Appellatio, vel intercedere possit *l. 7. in pr. ff. h. t.* aut in integrum restitutio petita fuerit *l. 32. C. eod.* aut negetur, vel ignoretur judicatum esse *l. 11. ff. eod.* & quandoq; incertum est, an valeat sententia *l. 23. §. 1. ff. de conduct. in deb.* quia omnibus illis modis lis adhuc subest, vel subesse potest.

14. De



14. De re verò judicatâ vel sententia, quæ nullo remedio attemperari potest, transactio facta nullius est momenti *l. 32. C. b. t. Gl. 23. §. 1. ff. de condict. indeb.* tum quia res finem suum est sortita, & sic materia, super qua pactio interponatur, extincta: tum, quia publica judiciorum auctoritas non concedit, ut ea, quæ sic definita sunt, privatorum arbitrato pro indefinitis & adhuc incertis rursus transigantur.

15. Quod si igitur post sententiam latam nullaq; appellationis aut in integrum restitutionis solemnitate suspensam Transactio fortè intercesserit, ea tantum virium non habet, quo minus ad executionem sententiæ procedatur *l. 32. b. t.*

16. His generatim expositis, jam specialia quædam Objecta, de quibus quæritur an Transactio fieri possit, videbimus. Ita de bonis filii in sacris positi Adventitiis num Pater sine cōsensu ejus rectè transigat, in dubium vocatur. Et licet ususfructus ac administratio istorum paternæ pietati concessa sit, *l. 6. C. de bon. qua lib. Gl. §. 1. Inst. per quas pers. nobis acquir.* tamen si filius ejus ætatis est, ut consentire possit, consensum ejus adhibendum esse *l. fin. §. 3. C. de bon. qua lib.* Sin minus, non aliter quàm justâ & necessaria de causa in utilitatem ejus patrem de iis transigere posse statuimus.

17. Etiam de Feudonum Vasallus rectè transigat,



gat, ambigitur. Nos vel ignorante Domino Trans-  
actionē illi permissam esse, modò bonâ fide ac sine  
fraude fiat, asseveramus. *c. un. de controvers. inter  
Vasal. Gal. de benef. 2 F 43. c. un. S. si Vasallus de  
beneficio, si de feud. defun. content, sit inter dom. C. ag.  
2. Feud. 26.*

18. Jam de status quæstione, seu de litigiis super  
servili vel adscriptitiâ conditione jam motis & pen-  
dentibus, vel saltem movendis Transactiones cele-  
bratas valere Anastasii Imp. constitutione definitū  
*l. ult. C. h. t.*

19. Pertinent huc præterea Controversiæ ex  
Testamento proficiscentes, de quibus nisi inspe-  
ctis, cognitis, & intellectis verbis Testamenti, cum  
ob favorem ultimæ voluntatis ejusq; exitum, tum  
ob vitandas improbas & captiosas circumventio-  
nes, transigi commodè non potest. *l. 6. ff. h. t.* Si ta-  
men pars alterutra Tabulas ultimæ voluntatis in-  
spicere non desiderat, Transactio facta eâ de causa  
non infirmatur. *l. 1. pr. ff. Test. quemad aper l. 78. S.  
ult ff. ad Sc. Trebel.*

20. De Alimentis etiam ultimo elogio relictis  
iisq; adhuc futuris non aliter, quam Prætoris arbi-  
trio & auctoritate interveniente, alimentarius tran-  
sigere potest. Si tamen conditionem suam privatim  
transigendo reddiderit meliorem, ea transactio va-  
lebit, *l. 8. ff. C. h. t.* De Præteritis verò alimentis te-  
stamen-



stamento relictis, *d. l. 8. C. h. t.* uti etiam illis, quæ ex contractu quodam inter vivos debentur, sine discrimine temporis licitè transigitur.

21. Cæterùm de Criminibus Capitalibus sanguinis pœnam ingerentibus tam ante quàm post accusationem pacisci & transigere non est prohibitum *l. 18 C. h. t.* Cuiq; enim sanguinem suum quovis modo redimere licet *l. 1. de bon. eor. qui ant. sent. l. ult. ff. de prævaric.* idq; non de reo saltem, cujus miserationi imprimis locum beneficio huic transigendi dedit, sed & de Actore vinculo inscriptionis ad similitudinem supplicii, si non probârit crimen, obstricto *l. 7. pr. ff. de Accus. l. fin. Cod. eod.* est intelligendū.

22. De Adulterio verò, quod Constantini M. tempore tandem ultimo supplicio ordinariè puniri cœpit, *l. 30 C. de adult. testante Imperatore Justiniano Novel 134 c. 10.* transigere vetitū, quòd hujusmodi pactum vel transactio cum lenocinii suspitione ac crimine conjuncta nefandam contineat turpitudinem & probum neutiquam ferendum, *l. 14. pr. ad L. Jul. de adult. l. 9. C. eod.*

23. Cætera quoq; crimina publica non capitalia citra falsi accusationem à Transactionis auxilio exclusæ esse, nulla est dubitatio *d. l. 18. C. h. t.* Cessat enim hîc redimendi sanguinis favor *d. l. 1. de bon. eor. qui ant.* ideoq; de illis transigens, si reus fuerit, proconvicto & confesso *l. fin. de prævar. l. 5. de*

B

his



*his qui not. infam. l. 2. pr. de bon. eor. qui. Si accusator, pro prævaricatore & tergiversatore l. 1. §. 1. § 6. ff. ad S. Turpil. § 1. 6 pr eod. habetur.*

24. Deniq; super rebus sacris & spiritualibus haud facilè transigi potest, cùm pretiũ pro talibus accipere affine sit crimini simoniæ *c. super eo extr. h. t.* ita nec de jure præsentandi *c. præterea 9. extr. eod.* nec super matrimonio, ad illud fortè dissolvendũ, Transactio procedit *c. ex parte. ult. extr. eod.*

25. Tantum de Transactionis materia seu objectis. Formam ejus quod attinet, constat eam vel pacto convento, vel stipulatione, eaq; vel simplici, vel stipulationis Aquilianæ vinculis firmatã fieri *l. 2. ff. h. t. l. 4 ff. eod. l. 3. l. 4 C. eod.* ita tamen, ut pro remissione litis semper aliquid præstetur. Nullo enim dato, vel retento, vel promisso Transactio est frustranea, *l. 38 C. h. t.*

26. Modi transigendi Accidentales sunt, quod Transactio fiat vel generaliter *l. 12 ff. h. t. l. 29. C. eod.* vel specialiter *l. 31. C. eod.* purè vel sub conditione *l. 9 C. eod.* adjectã poenali stipulatione *l. 15. § seq. ff. eod.* aut juramento *l. 41. C. eod.* vel sine iis; Scripto vel sine scripto *l. 5 l. 28. C. eod.* extra judicium vel in judicio *d. l. 28. interdium vel noctu l. 20 C. eod. feriatis vel profestis diebus l. ult. C. de fer.*

27. Finis Transactionis est res dubias & lites incertas



certas componere & terminare: Vis verò & effica-  
cia ejus tanta, ut autoritatē non habeat minorem,  
quàm juramentum & res judicata, quibus eo nomi-  
ne æquiparatur *l. 1. § 2. ff. de jurejur. l. 20. C. h. t.*

28. Imponit verò Transactio litibus finem, vel  
ipso jure, vel ope Exceptionis *l. 5. C. de dol. mal.* Ipso  
jure, si Acceptilatio vel simplex, vel unà cum A-  
quilianâ stipulatione intervenerit. Tunc enim ac-  
tio pristina funditus tollitur *l. 4. ff. h. t.* & nunquã  
reviviscit.

29. Exceptionem Transactio præbet, cum pacto  
convento facta fuisse doceatur *l. 9. l. 17. l. 24. C. h. t.*  
Pactum enim ad actionem perimendam non satis  
est efficax, ideoq; tunc actio adhuc durat, nec ali-  
ter nisi ope exceptionis removeri ac elidi potest.

30. Prodest verò vel nocet Transactio à privatis  
facta solùm illis, qui transfegerunt, non etiam aliis.  
Unde illud: Res inter alios acta aliis præjudicare  
non debet *l. 3. pr. ff. h. t. l. 155. pr. de R. l. t. t. C. int. al.  
act. vel jud. al. non noc.*

31. Transactio tamen debitoris prodest fidejus-  
sori, non vice versa *l. 7. §. 1. h. t.* sicut & debitori,  
qui hereditatem venditam ignorabat, cum ejusdē  
venditore transactio facta, exceptionem accom-  
modat, *l. ult. ff. h. t.*

32. Cæterum eatenus tantum prodest ac nocet  
transigentibus, quatenus facta est transactio; seu  
in iis tantum, de quibus actum probatur: Reliqua



verò, de quibus non est cogitatum, in suo statu re-  
tinentur *l. 5. l. 9. § 1. C. fin. ff. h. t.*

33. Sed progrediamur ad Remedia contra illos,  
qui Transactionem temerare, vel ab eius placitis re-  
silire ausi fuerint, competentia. De quibus primò  
sciendum, Reum, si pacto convento lis decisa fue-  
rit, exceptione Transactionis, quæ litis est finitæ &  
peremptoria, Actorem illam denuò moventem,  
ut paulò ante dictum, repellere: hanc verò, si pla-  
citis ille non paruerit, replicatione doli mali ab a-  
ctore infringi, imò etiam tunc pristinam actionem  
resuscitari posse. *l. 19. l. 28. C. h. t.*

34. Ubi verò per interpolitam stipulationem a-  
ctio penitus expiravit, Actori vel ex stipulatu actio  
datur, si ea conventioni subjecta fuerit *l. 6. C. h. t.*  
vel si verborum obligatio omissa est, actio utilis,  
quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat, vel  
deniq; de dolo malo actio subsidiaria tribuitur. *d.*  
*l. 6. l. 4 l. 19. C. h. t. l. 10. §. 2. ff. de pact.*

35. Datur etiam tam actori quàm reo Condictio  
causa dati causâ non sequentâ, quâ quod da-  
tum vel remissum fuit, fide non servata, repetitur  
*l. 17. C. h. t. l. 4 ff. de cond. caus. dat.*

36. Quod si juramenti religione solidata fuit  
Transactio, & major 25. annis contra eam liberâ vo-  
luntate confectam venire ausus sit, non solùm in-  
famiâ notatur, verùm etiam actione privatus & re-  
rum



rum proprietate & omni emolumento, quod ex illa transactione erat consecutus, caret *l. 41. C. h. t.*

37. Cum verò Transactioni interdum stipulatio poenæ subijci soleat, quam is, qui promissis non steterit, solvat *l. 37. C. h. t.* hoc casu, si actor resilierit, in rei potestate est, num poenam petere, an exceptione Transactionis uti velit. Si reus contra placitum egerit, penes actorem similiter est vel poenam petere, vel suprâ scriptis actionibus eum pulsare. Alterutrum enim saltem uterq; eligere, eoq; electo altero uti non potest, nisi clausula hæc, rato manente pacto, fuerit addita. Tunc enim, licet poena petita & soluta sit, Transactionis integrum manet robur *vid. l. 10. §. 1 ff. de pact. l. 15. §. 16 ff. h. t. l. 40. C. eod.*

38. Ex quibus omnibus elicitur, à Transactionibus bonâ fide finitis non esse liberum discedere *l. 10. C. h. t.* & quæstiones consensu terminatas resciscitare *l. 13. C. eod.* adeoq; poenitentia locum, ut litium sit finis, hîc non dari. *l. 39. C. h. t.*

39. Etsi verò nihil ita fidei congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerant, custodiri *l. 20. C. h. t.* dantur tamen nihilominus Causæ, propter quas Transactionem dissolvi æquissimum est. Primò enim, quivis intelligit nullius esse momenti Transactionem, quæ per errorem inita fuit *l. 29. C. h. t.* utpote qui consensui contrarius omnem conventionem



& contractum ipso jure nullum reddit. *l. 15. ff. de Jurisd. l. 116. ff. de R. l.*

40. Dolus quoq; causam Transactioni præbens, quæ bonâ fide celebrari debebat *l. 19. C. h. t.* illam meritò annihilat. *l. 4. l. 19. l. 8. C. h. t. l. 9. §. 2. ff. eod.* nisi is qui alterum arguit, doli particeps fuerit *l. 30. C. h. t.* aut sciens se dolo induci nihilominus transegit aut donavit *l. 34. C. h. t.*

41. Huc pertinet igitur falsitas litis & Instrumentorum. Si enim evidens apparet calumnia, veluti si lis callidè fingatur, ut fiat transactio, ipsa pro nulla habebitur *l. 65. §. 1. ff. de cond. indeb.* Si quoq; ex falsis Instrumentis inita fuerit, quamvis juramentum sit interpositum, falso revelato, retractatur *l. 42. C. h. t.*

42. In hanc classem eorum, ob quæ Transactio vacillat, etiam Metus refertur *l. 13. C. h. t.* non ille litis, qui ad transigendum movet *l. 2. C. eod.* sed qui extrinsecus infertur, ac cum periculo salutis & cruciatu corporis conjunctus in constantissimū quoq; virum cadere potest *l. 13. C. h. t. l. 3. §. 1. ff. quod met. caus.* Cùm verò transactio præsentibus amicis aut parentibus facta esse proponitur, metus velamento rescindi frustrà postulatur *l. 35. C. h. t.*

43. Minor quoq; ætas Transactionem infirmat *l. 11. l. 33. C. h. t.* Si quis enim minorem se 25. annis, cum curatore careret, lubrico ætatis circumscriptū & læ-



& læsum esse probat, ut adversus venditionem, & alium quemcunque contractum, ita & adversus transactionem in integrum restituitur *t. t. C. si adversus transact.* nisi placitum juramento firmaverit *l. 1. C. Auth. Sacramenta puerum C. si adversus vendit.* aut veniam ætatis impetrauerit *l. 1. C. de his qui ven. et. impetr.* aut reciproca remissio æquitati maximè consentanea facta sit *l. 11. C. h. t.*


44. Præterea mutuo transigentium consensu, quo colligata erat, eam rescindi posse juris est manifesti *l. 35. de R. l. l. 14. C. h. t.* Idq; locum habet, etiamsi res non amplius sit integra & aliquid fortè solutum; hoc enim æquitatis ratione refuso, causam ex integro agere licet *d. l. 14. C. h. t.*

45. Rescriptum verò imperiale *l. 16. C. h. t.* vel prætextus specierum, quæ post decissam controversiam repertæ sunt *l. 29. C. eod.* itemq; frustratio seu defectus sperati commodi & captati majoris lucri *l. 25. l. 34. C. h. t.* Transactionem vel debiti remissionem nullatenus reddit irritam.


46. Deniq; circa finem quærere lubet, An beneficio *l. 2. C. de rescind. vend.* Transactio ob læsionem enormem rescindi vel ad supplementum agi possit? Quod utrumque rationibus sat firmis negari potest. Nam si rescripto Imperatoris lites semel sopitæ resuscitari nequeunt, *l. 16. C. h. t.*  
multò




multò minus lege generali ac diverso de casu edità  
id poterit fieri, Deinde certum est sub prætextu In-  
strumenti noviter reperti, unde vel enormissima  
læsiō demonstraretur, negotiū legitimâ transactio-  
ne finitum instaurari non posse *l. 29. C. eod. l. 78. §.*  
*ult. ff. ad Sc. Trebell.* Huc accedit, quod Transactio  
stricti sit juris, lex autem loquatur de Contractu  
bonæ fidei, ideoque hujus ad illam extensio fieri  
non queat. Deniq; Transactionis non minor est  
autoritas quàm rerum judicatarum & juramenti.  
Ut verò ista propter quæcumq; læsiōem neuti-  
quam retractantur aut vocantur in dubium *l. ult.*  
*§. t. t. C. sent. rescind. non pos.* ita & Transactiones  
ob allegatum quantumcumq; damnum rescindere  
non licet. Pluribus hoc stabilire operæ pretium  
non videtur, nec temporis angustia permittit. Ple-  
risq; igitur ad hanc materiam pertinentibus, pro in-  
stituti nostri ratione, breviter sic excussis, vel sal-  
tem delibatis, nunc calamum sistimus, & celebra-  
to numine divino, Diatriben hanc juridicam  
finimus.
















the scale towards document

ate & omni emolumento, quod ex il-  
le erat consecutus, caret *l. 41. C. h. t.*  
erò Transactioni interdum stipulatio  
soleat, quam is, qui promissis non ste-  
*37. C. h. t.* hoc casu, si actor resilierit,  
e est, num poenam petere, an excepti-  
onis uti velit. Si reus contra placi-  
enes actorem similiter est vel poenam  
prà scriptis actionibus eum pulsare.  
nim saltem uterq; eligere, eoq; electo  
potest, nisi clausula hæc, rato ma-  
uerit addita. Tunc enim, licet poena  
a sit, Transactionis integrum manet  
o. §. 1 ff. de pact. l. 15. §. 16 ff. h. t. l. 40.

ous omnibus elicitur, à Transactioni-  
finitis non esse liberum discedere  
quæstiones consensu terminatas re-  
*C. od.* adeoq; poenitentia locum, ut  
hic non dari. *l. 39. C. h. t.*  
erò nihil ita fidei congruit humanæ,  
placuerant, custodiri *l. 20. C. h. t.* dan-  
lominus Causæ, propter quas Trans-  
olvi æquissimum est. Primò enim  
it nullius esse momenti Transactio-  
rrorem inita fuit *l. 29. C. h. t.* utpote  
contrarius omnem conventionem

B 3 & con-